



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt III. Proposita, postulantibus Caesarianis, concessio Calicis coetui
generali. Rationes ab ipsis allatae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11718

1562. Alia capita sunt agitata, ac præcipuè, An essent celebrandæ Missæ linguis vulgaribus. Fuit qui dixit, Perniciosam haud sibi videri Dalmatiæ consuetudinem, vbi post lectionem Euangelij Latini, idem legitur idiomate Dalmatico, ad populi eruditionem. Omnibus tamen probata est interdictio celebrandi Missam vulgari sermone. Quin Episcopus Nimosiensis retulit, in sua Diocæsi ab hæreticis, cum plurima Ecclesiæ bona occupassent, eorum restitutionem oblatam fuisse cum certis quibusdam pactionibus, præsertim verò cum hac conditione; sed rem fuisse reiectam.

Adum quoque in transcurso, An Decretis doctrinæ par Canonibus auctoritas esset tribuenda. Aduersabantur Fufcararius & Blancus, aientes, suos in hisce rebus gradus esse; sufficere, si oppugnatoribus inureretur temeritatis & scandali nota, non item hæreseos. Oppositum suadebat Hosius Reatinus Antistes: sed de hoc maturum plenumque consilium non est habitum.

Blanco denique non probabatur, quòd ad Canones apponeretur tamquam Fidei dogma, à Christo collatum fuisse Sacerdotij ordinem Apostolis per ea verba: *Hoc facite in meam commemorationem.* Consueuisse Concilia veritatem declarare, non interpretationes præscribere, productis sacrarum Litterarum, aut sanctorum Patrum testimoniis.

Hæc potissimum in propositis Decretis & Canonibus obseruata sunt: conuentumque est, vt arctarentur, ac limarentur, adhibitâ curâ tum ponendi quæ cunctis placerent, tum auferendi quæ alicui displicerent. Cum aptum in conuentibus adiumentum sit, vt plerique singulis morem gerant in rebus minutioribus omittendis, quò singuli plerosque sequantur in præcipuis sanctionibus statuendis.

C A P V T III.

*Proposita, postulantibus Casarianis, concessio Calicis cætui generali.
Rationes ab ipsis allatæ.*

Nondum absolutus erat sermo de Seruatoris sacrificio in Cœna, cum in eodem conuentu datus est aditus alteri quæstioni magis salebrosæ, quamuis minùs subtili. Acerrimè urgebant Casariani, vt Ferdinandi petitio pro vsu Calicis proponeretur. Quare Legati rem diutiùs haud protraxerunt. Et quamquam antea Borromæus ipsis significasset^a, ad faciliorem concessionem reddendam, profuturam forsitan fuisse limitationem transactionis ad solam Bohemiam, vbi persistebat vetus ac præcipua repu-

^a Apparet ex epistola Legatorum ad Borromæum, 20. Augusti 1562.

repugnantia Eucharistiæ sub vnica specie sumendæ, responsum à Legatis fuerat: Cùm Cæsaris postulatio ad cunctas Imperij ditiones extenderetur, nunc per eam rei propositæ restrictionem vereri se, ne, dum ipsi gratificari studerent, eum potius offenderent. At verò per idem tempus restitere alteri Cæsaris postulato, quod ^b per Delfinum Nuntium detulerat: id fuit, Vt definitiones de Sacrificio protraherentur, tantisper saltem, dum Cæsar in propinquis Comitibus vltimos adhiberet conatus ad mittendos Tridentum Prostantes. De quo rescripserunt, Ob causas sæpius-allatas superferre amplius non posse citra Ecclesiæ dedecus ac detrimentum: electum fuisse argumentum illud, quod ætate Iulij fuerat intermissum, quo reipsâ haberetur tacita continuatio, pro eo ac inter Cæsarem & Catholicum Regem conuenerat. Eò igitur impensius Legati studere promptum ad alteram petitionem animum præ se ferre; ac proinde die vigesimo secundo Augusti rem Patribus proponere.

^b Altera Legatorum epistola, eodem die.

2 Mantuanus honorificis formulis posuit ob oculos, quàm benemeritus de Ecclesia Cæsar esset, quantumque oporteret ipsi morem gerere in eo quod ad eiusdem Ecclesiæ commodum postulabat, præsertim cùm Synodus illius patrocinio frueretur. Postrema hæc dicta reprehensionis argumentum præbuere quibusdam, aut ex cautiore, aut ex pronioribus ad cauillandum, quasi Pontificiæ dignitati detraherent, & quasi Legatus ratione sanguinis traheretur ad proferendas voces auctiores socero nepotis ex fratre, quamquam reuera illæ ad solum patrocinium laicarum virium dilucidè referrentur, cùm Tridentum supremo Ferdinandi dominio subiaceret, atque illius oppidis cingeretur. Et sanè in toto illius Concilij decursu emicuit in Mantuano is tantummodò Principum respectus, qui ad emolumentum Ecclesiæ conducebat, quemadmodum stellæ tantum, & non amplius, solem intuentur, quantum conferat non ad ampliorem ipsarum irradiationem, sed ad Orbis terrarum emolumentum.

3 Duo scripta confecerant Cæsaris Oratores ad viam impetratio- ni sternendam: alterum prolixius, breuius alterum; petieruntque à Legatis, & obtinuerunt^c, vt scriptum breuius cunctis Patribus simul cum postulato proponendo traderetur. In eo habebatur: Iam vsque à primo interdicto Concilij Constantiensis retentum à Bohemis pertinaciter fuisse vsu vtriusque speciei in Eucharistiæ sumptione, nuncupatis idcirco *Sub vtraque specie*, eosdemque obstitisse inflexibiles rationibus, consiliis, & armis; nec plebeios so- lum,

^c Literæ Legatorum ad Bortomæum, 27. August. 1562.

1562. lum, sed nobiles ac dynastas, & eorum complures, ad quos ex veteri consuetudine spectabat publicorum Magistratum exercitatio. Eapropter Synodum Basileensem sese inclinasse ad Calicis usum certis conditionibus positis restituendum. Id pariter indulgisse Romanos Pontifices Paulum & Iulium Tertium, facultate ad id commissâ Nuntiis in iis prouinciis, tametsi varia, quæ contigerant, executionem impediissent. Ipsum Ferdinandum, cum ex Diuina beneficentia sibi euenisset, vt Archiepiscopus Pragensis post centum quadraginta annos in gradu reponeretur, petiisse à Pontifice, vt illi facultatem concederet ad Sacerdotium eos promouendi, qui vnâ cum Calice Eucharistiam accipiebant, adeoque Calistini appellabantur. Pontificem verò haud indignam, quæ exaudiretur, existimasse petitionem, à quâ pendere poterat illius inelyti regni ad Ecclesiæ finem regressio; sed eam ad Concilium reiecit. Probam illius Nationis voluntatem ex eo argui posse, quòd numquam ad eam vsque diem Sacerdotes admiserint nisi non coniugatos, sacrifque initiatos à Catholicis Episcopis; quòdque publicas pro felicitate Pontificis, sacri Collegij Episcoporum, ceterorumque Ecclesiasticorum Ordinum preces haberent. Hoc impetrato, facillè reduci posse ad rectam Fidem in aliis minutis rebus, in quibus aberrauerant. Admirationis argumentum non esse hanc adeò tenacem ipsorum voluntatem, quando doctissimi quidam viri etiam inter Catholicos dubitationem præ se tulerant, quòd vnus speciei sumptio tantum gratiæ non conferret, quantum vtriusque. Cauendum esse, ne seueritas nimia illos ad Lutheranorum sectam impelleret. Votum hoc non paucis improbisque hominibus inesse, sed innumeris ac piis, in Hungaria, in Austria, in Silesia, in Stiria, in Carinthia, in Carnioliâ, in Bauaria, & aliis Germaniæ prouinciis. Concessisse Paulum III. cunctis Germaniæ Episcopis facultatem Eucharistiæ sub vtraque specie porrigendæ cuiuscumque ex pietate id cupienti: quamquam ne id quidem ex quibusdam obstaculis postea effectum fuisset. Non peti hoc priuilegium pro hæreticis, vt qui auctoritatem Synodi non agnoscebant, sed pro Catholicis, obsequentibus Ecclesiæ filiis. Sperandum tamen esse, per eam confessionem ad frugem reuocatum iri complures etiam ex hæreticis, nec ab eorum paucis paratum ad id animum declarari: in eandem postulationem conuenire duos Episcopos, omnium Hungariæ Præfulum Procuratores: illic violentiam inferri Sacerdotibus, vt vtramque speciem præberent, adeoque quosdam ex metu abcessisse, alios eiectos ab Episcopis fuisse ob oppositam contumaciam

in

in Ecclesiam, ac proinde timendum esse, ne regnum illud repul- 1562.
sam passum, in ethnicismum præceps abiret.

4 Scriptum, de quo diximus, per Patrum manus circumlatum est,
& Legatorum primus in confesso duos hosce articulos proposuit.
Prior fuit:

*An usus Calicis, flagitatus à Cæsare pro vniuerso Imperio, & heredi-
tariis ipsius ditioribus, concedendus esset cum sequentibus conditionibus:*

*Vt quicumque vellet sub vtraque specie Eucharistiam sumere, acciperet,
ac profiteretur animo ac lingua doctrinam vniuersam, cunctoq; ritu Ec-
clesia Romana, & omnia Decreta præterita ac futura præsentis Concilij,
eaq; integrè obseruaret.*

*Vt Pastores & Concionatores prædictarum Nationum crederent, ac doce-
rent, consuetudinem ab Ecclesia comprobata accipiendi Eucharistiam sub
vna tantum specie, esse bonam atque laudabilem, dignamq; vt obseruetur,
vbi in eo eadem Ecclesia legem non relaxaret.*

Vt obedientiam profiterentur Romano Pontifici tamquam Ecclesie capiti.

Vt obedientiam pariter reliquis fides Præsulibus exhiberent.

*Vt id solum illis concederetur, qui contriti, peccata confessi fuissent se-
cundum Ecclesie ritum; atque vt Ordinarij summam diligentiam adhibe-
rent ad longè arcendum à Calicis distributione hominem quemcumque sacri-
legum aut profanum.*

Posterior articulus fuit: *An hæc facultas esset Episcopis concedenda
tamquam ab Apostolica Sede delegatis, quibus liceret id in suis Diocesis
committere Curionibus cum conditionibus recensitis.*

5 Antequam in sequentibus cœtibus Patres rogarentur sententias,
innotuit Oratoribus, difficultatem nonnullis iniici ab ipsa peticio-
nis amplitudine, quæ cum ad cunctas Imperij terras extenderetur,
Senas quoque, aliaque multa Italiae oppida complectebatur, præter
varia loca Liburniæ, Dalmatiæ, ipsamque Tridentinam Urbem^d:
quamobrem quò facilius redderetur, ad Germaniam & Hunga-
riam postea coarctata est. Pridie quàm suffragatio ea de re inchoan-
da erat^e, Episcopus Quinque Ecclesiarum sermonem habuit ad Pa-
tres, in quo rationes summam à nobis narratas amplificauit. Di-
xit, Rem suspicioni obnoxiam non esse, quòd Cæsar iam senex, ac
breuè ante Diuinum tribunal sistendus, vellet quidquam efflagitare
nisi quod arbitraretur ad Dei gloriam cessurum. Nec similiter in
tantæ prudentiæ Principe, post tam diuturnam intentamque regen-
di exercitationem, credendam esse ignorationem illius quòd in
suis subditis ad animarum salutem conduceret. Non aliud velle Cæ-
sarem, nisi quòd liceret per Ecclesie dignitatem, pro qua vitam pro-

^d Acta archie-
piscopalis,
27. Augusti
1562.

^e 27. Aug.
ex Actis ar-
chiepiscopalis,
& in epist. la-
drensis,
quamquam
prius sit po-
sita, 23. Aug.

Pars III.

P

fundere

1562. fundere præstò erat : sed Ecclesiæ morem esse, in rebus arbitrariis, & à Deo non præscriptis, leges variare pro conditionum varietate. A Synodo Constantiensi vetitum illud fuisse priùs constitutum ; postea id ex parte relaxatum à subsequuto Concilio ; sed eodem vetito per Pontificem Pium II. ad vim pristinam restituto, fuisse concessam à Paulo III. ac Iulio III. facultatem illius abrogandi : interim fuisse Græcis indultum non vsum modò Calicis, sed varios præterea ritus, ab Ecclesia Latina diuersos, idque per summam prudentiam, exemplo Moysis, qui nonnulla permisit populo suo propter duritiam cordis. Vnam dumtaxat rationem obiici posse, nimirum, Periculum fundendi sanguinis Christi. Huic occursum iri per Præfulum vigilantiam : sed tandem, quando Christus rectè effusum duxerat suum totum sanguinè in hominum salutem, haud illi molestam futuram aliquam eiusdem effusionem, quæ humano vitio contingeret in eo ministerio, vbi hoc pacto consuleretur innumerabilium animarum saluti, quæ eodem ipso sanguine redemptæ sunt. Ita perorauit Antistes, vt illis populis fieret satis, qui ægrotorum insanientium instar, ab amico ac perito medico potionem pro sua libidine violenter petebant.

C A P V T IV.

*Non modica sententiarum Varietas in generali Conuentu,
de Calicis concessione.*

Videbatur in eo argumento, in quo lumen rationis nullâ poterat infici tincturâ ab animi affectione & vtilitatis cupidine, nec agitabantur subtiles Scholarum quæstiones, sed beneficium quoddam arbitrarium, & à tot Principibus, tot Regnis efflagitatum, expectanda esse magna sententiarum concordia. Verumtamen vix vñquam adeò illæ variarunt. Lectori gratius futurum puto id suis oculis singulatim cernere, quàm narrationi meæ vniuersè credere : præsertim quòd hinc intelliget id quod singulos permouebat, cum interdum nos magis oblectet, si varios fructus decerpentes ex variis arboribus degustemus, atque inde plantarum terrarumque varietatem discernamus, quàm si confusos in vno eodem calathò illos haberemus in mensa. Verùm minutarum rerum recitationem cauebo, quæ semper accidit molesta lectoribus non otiosis, in vita temporis egentissima, & rerum obiectarum locupletissima.

Madruc-